

troducta, qua agitur ad famam recuperandam, ut scilicet verbalem injuriam inferens, dicta contumeliosa judicialiter revocet, et injustè à se prolata fateatur. Quòd si verò alterum non infamavit, sed tantùm objecit defectum naturalem, v. g. quod spurius, gibbosus, vel surdaster sit, non est locus huic actioni, sed solum christianæ deprecationi.

Porrò licet actio pœnalis injuriarum civilis et criminalis cumulari nequant, ut antè dictum, tamen actio *recantatoria*; item, si damnum culpa datum sit, actio *L. Aquilie* cumulari possunt cum actione pœnali injuriarum; cùm tendant ad diversos fines, scil. persecutionem rei, putà famæ, vel interesse ratione damni, et persecutionem pœnæ pro quantitate injuriæ (*l. 7. §. 1. ff. h. t.*) Sic etiam cumulari possunt actio furti, et condictio furtiva (*§. fin. In. de oblig. ex delict.*)

Dices: Actio recantatoria est criminalis, quia infamat; ergò non cumulatur cum pœnali.

R. N. A. Neque ratio est ad rem, quia multæ actiones infamant; ut actio depositi, mandati etc., neque tamen sunt criminales, sed civiles. Ceterùm probabilius est, actionem recantatoriam non esse famosam; cùm id nullo jure constet, nec colligatur ex Const. Caroli V, qua actio ista videtur introducta.

4.º Actio ob famosum libellum criminaliter intentata tendit ad pœnam capitalem, si crimen capitale impactum fuit (*l. un. C. de famosis libell.*) et Const. Carol. art. 110. vult imponi pœnam talionis. Secus est pœna exilii et deportationis, et hodie arbitraria qua tenetur auctor famosi libelli, et divulgator (*cit. l. un. et Can. 1. qui in alterius 5. q. 1.*): Typographi verò amittunt impressa exemplaria et potestatem imprimendi, aliisque arbitrariis pœnis subduntur.

5.º De jure Can. percutiens clericum incurrit excommunicationem (*Can. 29. si quis suadente 17. q. 4.*), et si S. R. E. Cardinalem, vel Episcopum percuciat, quasi reus criminis læsæ majestatis punitur (*c. 5. de pœn. in 6. et Clementina 1. eod.*) Hæc de actionibus injuriarum, quæ competunt injuriam passo sive directè in se ipso, sive indirectè in persona subjecta (*§. 2. Instit. l. 1. §. 3. ff. h. t.*)

193. Q. IV. *Quomodo expiret actio injuriarum?*

R. Seqq. modis:—1.º *Retorsione apta*, dicendo: *mentiris*.—2.º *Satisfactione* (*l. 7. §. 6. ff. h. t.*)—3.º *Remissione* expressa vel tacita injuriæ; quam tamen facere nequeunt personæ subjectæ, ut filiusfam. religiosus: benè verò pater, vel prælatus, etiam istis reclamantibus (*l. 17. §. 12. ff. eod.*), ubi tamen *seq. §. 13.* excipitur casus quo patris persona est vilis, filii verò honesta: et tunc pater nequit, remittere injuriam filio illatam. Remissione pœnæ non censetur remissa reparatio damnorum ex injuria secutorum, utpotè diversa.—4.º *Præscriptione* unius anni probabilius utilis, intra quem actiones prætorie extinguuntur (*l. 5. C. h. t.*) Sed actio recantatoria, et ex *L. Cornelia*, cùm utraque sit civilis, durat perpetuò seu 30 annis.—5.º *Morte* injuriantis vel injuriati ante litem contestatam; quia actio pœnalis ex delicto

regulariter ad hæredes non transit (*l. 13. ff. h. t.*) Sacramento tamen pœnitentiæ non tollitur ista actio, quia potest quis esse amicus personæ, et inimicus causæ.

§. II.

De damno dato.

194. Hic non agitur de damno *lucroso* ex bonis alienis, dum damnificans ex bonis alienis ditescit: ut per furtum, rapinam, usuram, etc.; sed de damno *non lucroso*, dum alterum damnificans, nullum exinde commodum reportat; quo sensu damnum est: *Delictum privatum, quo res aliena animata vel inanimata dolo, vel culpa destruitur sine ullo damnificantis lucro*: ut si animal destruat, vinum effundatur etc. Hoc delictum coeretur ex *L. Aquilia*, cujus tria erant capita: primo capite cavetur, ut qui alienum servum vel quadrupedem injuria occiderit, tantum det, quantum ea res illo anno plurimi fuit (*pr. Inst. et l. 2. pr. ff. ad L. Aquil.*); nomine quadrupedis intelligitur pecus gregatim pasci solitum, ut equi, asini, muli, oves, boves, capræ, sues; non verò feræ bestię, aut canes; *ibid.* Secundo capite quid statutum fuerit, non constat: atque ità *caput secundum L. Aquilia in usu non est* (*§. 12. in eod.*) Cujac. et alii existimant caput istud fuisse non de damno rei nostræ, sed de quovis alio damno, v. g. de intercepta nobis utilitate (*Gottofr. cit. §. 12.*) Tertio capite cavetur de omni cetero damno rei nostræ, si præter servum et pecudem occisum, damnum causetur, urendo, frangendo, rumpendo; et tunc res solvitur, quanti plurimi valuit ante 30 dies (*§. 13. Inst. et l. 27. §. 5. ff. eod.*): ut si servum vel pecudem vulnerasti, animal gregatim pasci non solitum occidisti, si face servum adussisti, vitrum fregisti, vestem dilacerasti etc. Exempla plurima reperies *tit. ff. ad L. Aquil.*

195. Q. I. *Quid requiratur ad rationem damni?*

R. Ut fuerit res destructa, sive integrè, sive ex parte contra usum suum naturalem: ut si uvæ immaturas decerpisti, agrum devastasti, vinum effudisti, hominem, hoc est, servum eluscasti vel occidisti etc. Econtrà si res non est corrupta, sed ad suum naturalem usum adhibita, non est damnum sub *L. Aquil.* contentum: ut si uvæ maturas ad comedendum decerpisti, vinum ebibisti, vestes alienas portasti etc.; ità passim *d. t.*—2.º Ut fuerit res destructa injuria, seu *non jure*, hoc est, per dolum aut culpam (*l. 44. ff. eod.*) An verò requiratur culpa in committendo, et non sufficiat in omittendo, controvertunt DD. Videtur res conciliari posse dicendo, sufficere culpam in omittendo, si omisio est causa moralis commissionis seu facti: ut si servus fornacarius obdormiat ad ignem, vel per alium ligna injiciat, et inde oriatur incen-

dium; vel si medicus deserendo curam ægri sit causa mortis illius etc.: quo sensu procedit *l. 8. et l. 27. §. 9. ff. d. t.* At si mera sit omissio, ex qua factum non sequitur, non continetur sub *L. Aquilia*: ut si fructuarius agrum non proscindat, vites non subserat, aquæ ductum corrumpi patiatur (*l. 13. §. 2. ff. de usufr.*) In foro Can. parùm curatur de nomine actionis; quia damnum sive commissione, sive omissione datum, reparari debet. Excipitur si damnum datum sit casu fortuito, vel ab eo, qui non est doli aut diligentiae capax, ut ab infante, amente, furioso; etsi nocumentum factum sit non ab homine, sed à pecude: quo casu dicitur non damnum, sed pauperies fieri (*tit. Inst. et ff. si quadruplex pauper.*)

196. Q. II. Cui, et contra quem concedatur actio *L. Aquiliae*, seu de damno dato?

R. 1.º Conceditur illi, cujus interest, scil. domino rei destructæ: et quidem *directa*; utilis verò accommodatur emphyteutæ, vasallo, bonæ fidei possessori, fructuario, usuario et creditori, quatenus eorum interest (*l. 12. §. 6. et fin. l. 30. §. 1. ff. ad L. Aquil.*); non tamen commodatario (*cit. l. 11. §. 9.*), sed si vestimenta commodata scissa fuerint, domino competit ista actio; *ibid.*—Nec obstat *l. 2. ff. si quadrup. pauper.*, ubi actio quadrupedaria conceditur commodatario; nam damnum facilius fieri potest ab homine, quàm bruto: adeoque commodatarius censetur remittere damnum ab homine datum, non verò pauperiem à bruto datam; sed tunc interesse suum prosequi potest: Harpr. concedit commodatario utilem actionem *L. Aquil.*

2.º Actio *L. Aquiliae* datur contra damnificantem physicè, vel moraliter, ut si mandet rem destrui (*l. 37. ff. ad L. Aquil.*); uti etiam contra mandatarium extraneum, non tamen in potestate mandantis constitutum.—II. Contra hæredes defuncti non datur, nisi lis cum defuncto fuerit contestata (*l. 9. ff. cod.*), quia actiones ex delicto non transeunt ad hæredes. At de jure Can. damnum culpa theologica datum resarciendum est ab hæredibus defuncti; quia cum hoc onere bona ad eos transeunt (*c. fin. de Sepultur. c. 5. de raptorib.*)

197. Q. III. Quid veniat in actionem *L. Aquiliae*?

R. 1.º Æstimatio damni: et quidem ex *c. 1. L. Aquil.* quanti plurimi res valisset illo anno, et ex *c. 3.* quanti valisset ante 30 dies: v. g. occidisti equum cæcum, qui ante cæcitatem hoc anno valuit centum florenis, teneris igitur ex capite primo *L. Aquil.* dare centum, licet tempore occisionis valeat tantum decem. Item effudisti vinum, quod ante 30 dies valuit 20, teneris 20 dare, licet tempore effusionis non valeat nisi 15; ac proinde quoad hunc excessum actio *L. Aquiliae* est pœnalis; §. 9. *Inst. ad L. Aquil.* ibi: *Quæ ratione creditum est pœnalem esse hujus legis actionem.* Sed ut notant Stryck, Lauterb., Schmier et alii, modus iste æstimandi, et excessus in desuetudinem abiit; et hodie fit æstimatio damni secundum tempus præsens, quanti res valeat eo tempore, quo servus, vel pecus occiditur, aut alia res corrumpitur.

2.º Venit in hanc actionem non tantum corpus læsum, sed omne, quod extrinsecus interest, seu omne damnum ratione corporis læsi causatum, v. g. expensæ in medicos, operæ cessantes, lucra aut pretia diminuta: ut si ex quadriga, ex choro comædorum, aut musicorum aliquis læsus ac occisus sit, et ob id pretium aliorum equorum decrescit musicis aut comædis lucrum cessat etc. (*l. 21. in fin. 22. 23. ff. cod. l. 29. §. 3. C. cod.*)—His non obstat *l. 21. ff. §. 3. ff. de action. empt.*, *l. 63. ff. ad L. Falcid.*; nam prior procedit de lucro remoto et incerto; posterior de imputatione præsentium bonorum in *falcidiam*; at respectu *L. Aquiliae* consideratur lucrum et damnum moraliter certum, licet hic et nunc non habeatur.

3.º Actio *L. Aquiliae* in *duplum* est tantum pro casu inficiationis, si damnificans neget damnum à se factum, et super hoc vincatur (*l. 2. §. 1. l. 23. §. 10. ff. cod.*) Hinc etiam actio ista est *arbitraria*; quia judex, si damnificans nolit parere illius præcepto, dato ad simplum solvendum, deinde ex arbitrio suo reum convictum condemnat in *duplum* (§. 23. et 31. *Inst. de action.*)

4.º Cum actione *L. Aquiliae* concurrunt plures aliæ actiones: ut familiæ herciscundæ, communi dividundo, furti, vi bonorum raptorum, injuriæ, *L. Corneliae* de sicariis: si quis tamen una recepit suum, altera experiri nequit, nisi in illud plus, quod per aliam actionem obtinere potuisset; *l. 34. pr. ff. de O. et A. et l. 23. §. 9. ff. ad L. Aquil.*, ubi *Jctus*. ait per *Aquiliam* non præjudicari *Corneliae*.

Dices: *Interdum evenit, ut præjudicium judicio publico fiat, sicut in actione L. Aquiliae, et furti (l. 4. ff. de publ. judic.)*

R. Hic nomine *præjudicii* venire prius judicium civile, à quo facilius et expeditius transitur ad judicium publicum.

198. Q. IV. Quotuplex sit actio *L. Aquiliae*?

R. Triplex: *Directa* utilis et subsidiaria in factum (§. *fin. Inst. de L. Aquil.* et passim *ff. h. t.*) *Directa* est, quæ descendit immediatè ex verbis *L. Aquiliae*, dum scil. aliquis corpore suo damnum dat, seu dum corpus corpore læditur; et hæc soli domino competit, cujus res læsa fuit; ut si manu tua servum occidisti, bacculum fregisti etc. *Utilis* est, quæ ex interpretatione *L. Aquiliae* descendit, dum quis scilicet damnum dat corpori, sed non corpore suo, seu per positivam actionem; vel corpus liberi hominis læsit, vel destruxit rem alteri interesse habenti, ut fructuario etc. Exempla habes *l. 7. §. 6. et seqq. l. 8. 9. et seqq. ff. ad L. Aquil.* Nec te moveat, quòd actio ista sæpè dicatur in factum: nam *actio utilis* et in factum sæpè quoad nomina confunduntur: sic §. *fin. Inst. de L. Aquil.* Imperator dicit utilem esse actionem, si quis hominem alienum aut pecus ita incluserit ut fame necaretur; aut pecus in tantum exagitaverit, ut præcipitaretur. *Jctus*. autem in his exemplis dicit esse actionem in factum (*l. 9. §. 3. 4. ff. cod.*): dum ergò quis non occidit physicè, sed tantum moraliter, præbendo causam morti, tenetur actione *utili L. Aquil.*, quam *Jcti*. sæpius vocant actionem in factum, ut si medicinam venenatam alicui des, vel si trudendo

alterum, tertium occidas etc. (*citt. ll.*) *Actio in factum subsidiaria*, ex doctrina Imp. est propriè in eo casu, quo damnum fit alteri, ità ut quis nec corpore lædat, neque lædat corpus; *veluti si quis misericordia ductus alienum servum solverit, ut fugeret*; vel si aperuisti conclave, ut canis inclusus abiret, vel avis evolaret: vel si roborarium reserasti, ut feræ aufugerent etc.; in his enim et similibus casibus damnum datur, neque tamen corpus corpore læditur. Doctrina præsens benè notanda est, tum ad conciliandos textus juris; tum quia pluribus aliis materiis applicari solet.

199. Q. V. *Quanta sit obligatio reparandi damnum injuria datum?*

R. 1.º Si damnum est dolo, seu scienter et malitiosè datum, damnum pro foro externo et interno est ad æqualitatem reparandum; nam tunc obligat præceptum juris naturalis: *neminem lædere, et suum cuique tribuere*: jus verò naturale obligat etiam pro foro interno: et quidem graviter sub mortali, si materia est gravis; leviter et sub veniali, si materia sit levis.

2.º Si damnum datum sit culpa theologica, atque tamen expresso dolo, Lex Aquilia ad reparationem damni obligat non solum in foro externo, sed etiam interno, ante ullam sententiam judicis; ità com. Nam radix restitutionis et reparationis damni non tantum est *res accepta*, sed etiam *injuncta acceptio*, seu *injuncta læsio*; sed in dato casu est læsio injusta et peccaminosa, utpotè conjuncta cum culpa theologica; ergò. Jam si per culpam mortalem factum sit grave damnum proximo, totum reparandum est sub mortali: si verò grave damnum factum sit per culpam venialem, non conveniunt DD. Videtur probabilius, quòd tantum pars damni sub veniali reparanda sit secundum quantitatem culpæ et voluntarii, idque pro foro conscientie.

3.º Si damnum datum sit culpa merè juridica, sive lata, sive levi aut levissima, Lex Aquilia ad reparationem damni non obligat in foro conscientie, saltè ante sententiam condemnatoriam: ità Silv., Haunold. Reiff., Chling., Schmier et communior TT. et Canonistæ contra Cov., Nav., Zoes etc.—Prob. I. Obligatio ista in conscientia non descendit ex jure naturali; nam hoc jure radix restitutionis est *res accepta*, et *injuncta acceptio* seu *læsio*: hinc autem in damnificanti non concurrat *res accepta*, quia supponitur nihil ad eum pervenisse: neque *injuncta læsio*, quia sine culpa theologica læsio non est formaliter injusta, sicut nec voluntaria, sed potiùs comparatur casui, sicut læsio ab infante aut amente facta; ergò damnificans ex mera culpa juridica pro foro interno conscientie non tenetur reparare damnum ante sententiam.—II. Neque obligatio ista descendit ex jure positivo canonico aut civili: tum quia id ex nullo textu clarè colligitur; tum quia obligatio Leg. Aquiliæ videtur efficaciter nasci primò post sententiam, ut satis clarè deducitur ex textu capituli primi et tertii Leg. Aquil. l. 2. pr. et l. 27. §. 5. ff. ad Leg. Aquil. ibi: *damnus esto*, quæ verba propriè significant sententiam condemnatoriam; sicut l. 2. C. cod. ibi: *Ut id damnum sarciatur, competentis judicis auctoritate consequeris, ut qua*

in priorem statum restituatur, ejusdem judicis cura impetrabis; tum quia Lex Aquilia est pœnalis, vel saltè sequitur naturam legum pœnaliùm (§. 9. Inst. cod.); lex autem pœnalis ad pœnam non obligat regulariter ante sententiam judicis; ergò. Ratio est; quia communis sensus, praxis et consuetudo fidelium interpretatur nobis Leg. Aquil., quòd nullus existimet, se coràm Deo obligari ad damnum reparandum immediatè et ante sententiam, si damnum istud fecit involuntariè per ignorantiam, inadvertentiam, oblivionem vel alium defectum coràm Deo inculpabilem: imò obligatio immediata est nimis dura, noxia et conscientie onerosa; ergò.—Ex his solvuntur jura in contrarium, dicendo illa obligare non immediatè et absolutè, sed mediatè et conditionatè tacitè si sententia lata fuerit (§. 4. et seq. Inst. et l. 5. §. 1. 3. l. 44. ff. ad Leg. Aquil. l. 45. pr. et §. fin. cod., et c. 2. 4. 5. 6. fin. h. t.)

Dices: I. Jus utrumque indistinctè obligat ad damnum reparandum culpa datum, ità ut ignorantia non excuset (*cap. fin. h. t.*)—II. Quod petitur actione rei persecutoria, debetur antè sententiam, cum nobis absit (*arg. §. 17. Inst. de action.*); sed compensatio damni illati petitur actione Legis Aquiliæ, quæ est rei persecutoria, licèt in casu inficiationis sit mixta (§. 23. cod.)—III. Æquius est, ut faciens damnum, illud compenset, quam alter prorsus innocens illud patiat ex culpa damnificantis.

R. Ad I. Jura ista explicanda et supplenda sunt ex c. 6. h. t., si damnum voluntariè seu culpa theol. datum sit; neque excusat ignorantia culpabilis, quæ conjuncta est cum peccato theologico.—Ad II. D. M. Quod petitur tanquam debitum ex contractu aut delicto Theologico, C. M. Debitum ex culpa merè juridica, N. M. Hoc ipsum enim est in quæstione, an debitum ex culpa juridica verè in conscientia debeat ante propositam actionem.—Ad III. In hoc casu uterque certat de damno vitando, adeòque locus est reg. 65. in 6.: *In pari causa potior est conditio possidentis* et consumentis.

4.º Lex Aquilia post sententiam judicis probabilius obligat ad reparationem damni culpa juridica dati; ità com. sententia contra Rebell., Haunold., Schmier etc.—Prob. I. Lex justa in foro externo, est etiam justa in foro interno; sed Lex Aquilia est justa et rationabilis in foro externo: tum quia non apparet ipsius iniquitas; tum quia fundatur in bono communi, ut homines reddantur attentis, ne per se directè vel indirectè damnum proximo faciant; ergò etiam est justa pro foro interno, ità ut reus in conscientia teneatur parere judici præcipienti compensationem damni culpa juridica lati.—Præterea lex ista ferè esset inutilis, si culposus damnificator neque post sententiam obligaretur ad damnum resarciendum.

Ex his duabus resolutionibus colliges:—1.º Quòd damnificatus ex culpa merè juridica ante sententiam judicis non possit sibi facere occultam damni compensationem ex bonis damnificantis; quia compensatio ista in conscientia non debetur, nisi post sententiam. At si sententia lata est, solum ex illa restituere non tenetur; quia adjudicatione

suum factum est, cum reus post sententiam solvere teneatur.—2.^o Quod damnificans ex culpa juridica, solutum post sententiam repetere, vel occultò compensare non possit: si verò solvit ante sententiam, solutum occultè compensare possit; quia, cum natura non debuerit, repetitioni locus est.

Obj. I. Lex Aquilia fundatur in dolo et culpa Theologica, ut patet ex verbis illius (*l. 2. pr. l. 27. §. 5. ff. ad L. Aquil.*); ergò si deficit culpa Theologica, cessat hujus legis obligatio.—II. Lex Aquilia apud nos fideles explicanda et intelligenda est secundum jus Can., ejus est discernere justitiam Legum civilium; sed jus Can. *c. 6. h. t.*, dicit reparandum esse damnum *voluntariè*, seu culpa theologica causatum, et ubi *ly voluntariè* non ponitur, subintelligi debet: siquidem *cit. c. 6.* per modum regulæ generalis desumptum est ex Pœnitentiæ Romano; ergò.—III. Compensatio et restitutio in foro Can. et Theologico non oritur nisi *ex re accepta*, vel *injusta læsione et acceptione*; sed in hoc casu non adest *res accepta*, ut suppono, neque *injusta læsio*; quia sine peccato theologico injustitia formalis non committitur; ergò.—IV. Dum judex aliquem condemnat ex Lege Aquilia, sententia illius fundatur in præsumptione culpæ voluntariæ et theologicæ: siquidem in foro externo non potest probari, an culpa merè juridica, an simul theologica intervenerit: imò ex toto *tit. L. Aquiliæ* non potest evidenter ostendi, quòd sermo sit de culpæ merè juridicis per exclusionem voluntarii, saltèm indirecti sufficientis ad culpam theologicam; ergò judex sententiando, absolutè non adjudicat actori compensationem damni, sed tacitè conditionatè, si damnum voluntariè, saltèm indirectè causatum sit, sicut accidit in aliis sententiis: ut si non debitorem condemnet ad solvendum etc.—Hæc argumenta, præter cetera, adeò alicuius videntur efficacia, ut omninò existiment sententiam istam esse probabilem et tutam in foro conscientiæ, reumque, si solvere coactus est in foro externo, uti posse compensatione oeculta, servatis tamen aliis debitis conditionibus, sicut non debitorem, qui ex falsa præsumptione debiti condemnatus, coactus est ad solvendum; nihilominus pro mea opinione.

R. Ad I. Culpa theologica fuit occasio condendi leges de damno reparando; sed quia culpa theologica in foro externo nequit facilè probari, ideo meliùs dicitur leges istas inniti causæ publicæ, ne per inattentionem et negligentiam aliquorum damna civibus inferantur; ergò licèt culpa Theologica non præcesserit, tamen justa est condemnatio ob solam culpam juridicam et civilem, et cons. reus ex tali sententia in foro interno obligatur.—*Ad II.* *Ly voluntariè* opponitur casui fortuito, non verò culpæ juridicæ, quæ fictione juris habetur pro voluntaria; aliàs non rectè diceretur culpa, et ideo *c. 2. 3. 4. 5. h. t.*, indistinctè dicitur damnum culpa datum esse reparandum.—*Ad III.* Pro damnis compensandis sufficit læsio civiliter seu juridicè injusta; cum læsio theologica non facilè sit probabilis.—*Ad IV.* Sicut Lex Aquilia, ità et sententia judicis occasionaliter fundatur in culpa theologica; principali-

ter verò et motivè fundatur in bono publico, ut inter cives securitas sit à damnis inferendis.

Sed dices contrò: Jura quando contra jus naturale disponunt ex causa boni publici, causam istam aperiunt, ut patet in usucapionibus, in privilegiis pupillorum, et minorum, Scto. Macedoniano et Vellejano etc., sed in toto jure non reperitur, quòd Lex Aquilia fundetur in causa boni publici: benè verò reperitur, quòd fundetur in delicto, cum damnum injuria datum numeretur inter delicta privata: tum quia Gregorius IX. (*c. fin. h. t.*) non dicit simpliciter quòd ignorantia non excuset ab injuria et damno culpa dato, sed signanter addit: *si scire debuisti ex facto tuo injuriam verosimiliter posse contingere, vel facturam*; quòd perinde est, ac ignorantiam esse theologicè culpabilem, cum stante culpa merè juridica, utpotè hic et nunc invencibili, nemo scire debeat, aut possit, quid ex facto suo sit secuturum; ergo Lex Aquilia non fundatur in bono publico, sed in præsumptione delicti theologici: hæc autem præsumptio facti, si fallat, facit cessare obligationem legis et sententiæ in tali facto fundatæ, ut dixi *l. 1. tit. de Constit.*

Ad hoc sanè difficile argumentum:—*R.* Causam publicam Leg. Aquiliæ sufficienter colligi, tum ex fine hujus plebisciti ad communem securitatem et damnorum aversionem conditi; tum quia *in Lege Aquiliæ, et levissima culpa venit (l. 44. ff. ad Leg. Aquil.)*, ob quam res publica dat judici potestatem condemnandi reum, ità ut sententia illius justa omninò habeatur, atque ità tranquillitati conscientiarum consulatur. Ad textum *c. fin. h. t.* dico, illum procedere de negligentia et debito non tantum theologico, sed etiam civili et juridico. Ex his patet culpam levissimam, quæ rarè culpæ theologicæ miscetur, sufficere ad iudicium Leg. Aquiliæ, quamvis in contractibus non tam Lex Aquilia, quam culpa cuilibet contractui propria attendatur, ut dixi *lib. 3. tit. 14. in doctrina generali de contractibus. (a)*

Hactenùs actum est de criminibus: nunc in seqq. tribus titulis de pœnis vindicativis in foro externo et interno, et medicinalibus. Tandem ad imitationem Pandectarum jus Can. clauditur duobus titulis generales juris materias continentibus: putà de *Verborum significatione et regulis juris*.

a—De noxa, pauperie, quasi-delicto, crimine ambitus, fraudatæ annonæ, privati carceris, illiciti collegii, aliisque delictis, de quibus jus canonicum minime tractat, quisquis notitiam assequi velit, adeat Civilistas.